



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

5. Qvod Nvnc Indigenis Nomen Vt Ante Manet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

3. VETERVM BRVCTERORVM. Et sedes & nomen sæpe vetus hic clarusque populus mutavit. à Veljeo, Tacito, Suetonio, Apollinari, Claudiano, *Brueteri*, à Ptolomæo *Βροάκτεροι*, Strabone *Βρόκτεροι*, vitiose ab utroque & contra etymon nominis. in tabula itineraria *Buruēturi*. in panegyrico Nazarij *Bruteri*. apud Sulpitium Alexandrinum *Briēturi*. à Beda in histor. Anglorum, Marcellino in vita S. Suiberti *Boruētuarij*. à Gregorio 2. Papa *Borthari* appellantur. Postquam vero *pulsis Brueteris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbia odio, seu præda dulcedine, in fines eorum antiquos Chamavi & Angrivarij immigrarunt.* Tacit. de morib. Germ. superstites ultra *Luppiæ & Amisæ* fontes ac saltum *Teutoburgium* domicilia ad *Visurgim*, silvam *Hercyniam & Rhenum*, inter *Coloniam Agrippinam & Hassos*, quæsiuere. Claud. de 4. conf. Honorij.

Venit accola silva

Brueterus Hercynia.

4. BRVCTERVS HÆC COLVIT LOCA. Si, ut Tacitus habet, inter *Amisiam & Luppiam* haud procul *Teutoburgiensi saltu ultimi Brueterorum* fuerint, manifestum est, tractum eos *Delbruggium* tum tenuisse.

5. QVOD NVNC INDIGENIS NOMEN VT ANTE MANET. Mollerus in descript. Rheni. lib. 5.

Quin & Dalbrugis vestigia nominis insunt.

Sive enim *Brueteri* nomen à paludibus, quos *Broucken* vocitamus, ut sint *Brouckers* quasi paludum accolæ, sive à pontibus, qui *Brucken* appellantur est deductum, *Delbruggia* utrumque convenit, quæ & paludosa est, & propterea pontibus aggeribusque abundat. vide orig. Franc. Isacij Pontani. l. i. c. 9.

6. HIC VARVM INFESTO. Hæc potissima causa fuit expeditionis adversus Germanios, qua *ultimi Bru-*

G 2

eterorum